



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Excellens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Mithridatem enim sibi mortem conscivisse nunciaturi venerant. Victores Delphis Pythiis certaminibus, ea peculiariter Lauro coronabatur, quæ Delphica nominabatur, cujusmodi genere & triumphantes Romæ: ea enim longe viridior est, maximis baccis, æque ex viridi rubescentibus: unde nonnulli commentati sunt, in quatuor certaminibus præmiis, quæ recensentur ab Archia, per malum grandiores has Pythiæ Laurus baccas intelligi: de quo apud Lucianum videas de pomis in templo Apollinis decerptis.

JURGIOSUS. CAP. XX.

*Bebrycia
Laurum.*

Quod vero jurgiosum notari per Lauri ramum alicujus manu prætentum nonnulli dicunt, Grecorum commentum est, non Aegyptiorum, idque desumptum ex historia. Nam Bebrycia Laurus erat in Amyci portu, à qua ramum quicumque decerpisset, tamdiu fieri jurgia solebant, quoad abjiceretur: quod traditum est ab Apollodoro lib. primo de Pontificis Heroibus. Sed enim particularia hæc inter hieroglyphica locum non habent, quia necesse est, quod rectè sit exprimentum, id universo generi competere, unde ipsa desumitur significatio.

REMEDIIUM. CAP. XXI.

*De virtutibus Lauri
Dioscorides
lib. 1. cap. 15.
& ibi Mar-
tialis. Ga-
le. 1. 6. simp.
medica. &
Plin. 1. 15.
Foliorum
Lauri re-
medium.*

Quæ vero de Scipione Laureo memorantur, significare id remedium contra pericula & insidias, quæ à quopiam intententur, ut apud Suidam legitur non ea tantum causa est, quod contra venena pollere Laurus creditur, sed huc faciunt ea omnia, quæ superius recitavimus, ubi tutelam & custodiam per Laurum significari docuimus. Quin & Aesculapii caput Laureum redimitum non alla de causa dicunt, nisi quia ea arbor plurimorum sit remediorum. De medicina vero divinitus revelata, quæ per Lauri ramum aut folium in Columbæ rostro ostenderetur, in Alitis ejus Commentario diximus. Præstant & hordeo condito incolunitatem Lauri folia, si sicca grumis immisceantur aut superne sternantur, diuque à vitio conservant, ut Demagerontis præcepto admonemur, in his quæ à Constantino Cæsare selecta sunt. Quin Romani, ut apud eundem Cæsarem Laurum boni genii plantam sunt appellare soliti: persuasumque habuere, locum, ubi Laurus esset, neque à sacro ullo morbo, neq; à dæmone infestari. Et salutaris ominis gratia folia ipsius à populo Calendis Januarii Magistratibus offerebantur, una cum caricis.

DE CEDRO. CAP. XXII.

*Persius, &
Horat. de
Arte Poet.
Carmina
linenda ce-
dro, ait.
De Cedri
Sivib. Mat-
theolum in
Dioscoridæ
lib. 1. c. 89.*

Ad Palmam & Laurum pro Poëtis, & Cedrum & Myrtum adungere gloriosum est, cum de præstantibus insigne dictum illud proferri soleat, *Et Cedro digna locutus.* Ante alias enim arbores Cedrus æternitatis hieroglyphicum est, quia materia ejus neque putrefcit, neq; cariem patitur. Hinc Arca fœderis ex Cedro tabrefacta est. Et Cedro digna loqui dicuntur illi, qui ea scribunt, quæ nulla temporis injuria sint abolitura.

EXCELLENS. CAP. XXIII.

Libi Divinis in literis excelsioris potentia viros indicat, Ps. 92. *Sicut Cedrus Libani multiplici ablatur.* Et 2. Esa. *Confringet Dominus Cedros Libani,* hoc est, potentiores. De medulla vero Libani ablata à Rege barbaro, pro nobilitate protrita, dictum in Aquilæ Commentario. Sed jam ad Myrtum.

DE MYRTO.

GENIUS ET VOLUPTAS. CAP. XXIV.

*Formosa Veneri
myrtus
gratissima. 6
Virg. Ecl. 7.*

Statis quidem exploratum est omnium ferè Foëtarum lætione, Genium & Voluptatem ex Myrto significari. Arbusculam eam omnium delicatissimam ajunt, perpetuo tam virore spectandam, quam foliorum specie, suavissimoque odore præstantem, ut non immerito sit Veneri Deæ omnium delicatissima.